



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs**

In quo hæreses & mores Pelagij contra naturæ humanæ sanitatem, ægritudinem & medicinam ex S. Augustino recensentur ac refutantur

**Jansenius, Cornelius**

**Lovanii, 1640**

6. Tertia gratia generalis Massiliensium est actualis interna sufficiens ad credendu[m] non ad operandum. Latè ex principijs Augustini & Massiliensium astruitur: aliqua de natura ejus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13650**

*Ibid.*  
*In Epist. Hilari.*  
 sanari: quippe velle sanari prima omnino est, adeoque infima iustitiæ ratio. Hoc est quod paulo post: Si autem, aiunt, dicatur vel talem (supple voluntatem) omnibus remansisse, quia vel contemnere, qui valeat vel obedire (credendo) de compendio putant rationem reddi electorum vel reiectorum &c. Nempe tantillum de naturali illa primi hominis libertate superesse volunt, ut saltem possit velle vel credere, etsi non possit amplius progredi. Hoc est quod saltem quatenusque dolorem ad exhortationem corruptentis oriri posse ex illa superstitite libertate arbitratur, quo saltem doleat quod mandatis obedire non possit. Hoc denique quod disertis verbis asserunt: Proprium arbitrium ad hoc tantum esse LIBERVM ut velit, vel nolit admittere me-

*A* *dicinam.* Hoc enim in Adamo, teste Augustino, ita liberum fuit, ut universam iustitiam posset implere si vellet. Nunc autem secundum Catholicam & Apostolicam eiusdem Augustini sententiam, ita infirmatum est, ut non solum per libertatem suam iuste agere vel seipsum sanare non possit, quod Massilienses etiam libentissime confitentur, sed ne quidem possit credere aut velle admittere medicinam sive ut uno totum verbo Augustini complectar nec accedere possit ad Deum nec manere cum Deo. Hoc est enim quod solidissime constantissimeque docet Augustinus, quando Massilienses corrigens dicit: Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii quales nunc sunt; fuit in homine antequam caderet.

*Lib. de dono per sen. 7.*

*Ibid.*

Tertia gratia generalis Massiliensium est actualis, interna, & sufficiens ad credendum, non ad operandum. Late ex principijs Augustini & Massiliensium astruitur, aliqua de natura ejus.

### CAPVT SEXTVM.

**M**AGNA vero statim hic suboritur A ducitatio, quomodo recte istam credendi potestatem seu libertatem ex primæ conditionis integritate reliquam esse Massilienses arbitrari possunt, quandoquidem habituales Adami gratiam sive iustitiam ex qua libertas illa magna surgebat, in ipso & posteris profusam amissam esse fateantur? Deinde quidquid poterat Adam sive credere sive operari, non sine interno gratiæ adjumento poterat, quod cum ipsi omnino repudient, & solâ naturali libertate credi posse statuunt, sene non tam posteros Adami, peccato ejus vulneratos videntur asserere, quam lapsos esse homine stante fortiores; utpote qui sine gratiæ interioris auxilio credere posse dicantur, quod homini primo non nisi qualiscunque gratia conferebat.

Sed unde magna illa primi hominis potestas & libertas oriretur, non est hic suffus differendi locus. Hoc tantum hic dico, magno pere illos hallucinari qui ex habituali gratia eam pullulasse arbitrantur. Neque enim ullo modo restituta habituali illâ iustitiâ quam Adamus habuit, adeoque majori & atctiori, magna illa libertas restituitur. Quod argumento est evidenti illam ex alia radice proficisci: quod quando de iustitiâ primi hominis disputandum erit, ex professo ex Augustini principijs declarabitur. Hanc ergo qualem-cunque radicem libertatis & potestatis eatenus integram post lapsum remansisse posteritati Adæ Massilienses putant, ut saltem velle sanari possit & credere, quamvis per eam non possit bonum operari.

Virum autem præterea internam aliquam gratiam isti superstiti libertati ad credendum

*A* necessariam esse sentiant, perplexior difficultas est. Nam plerique recentiorum extra controversiam esse debere putant, quod omne actualis internæque gratiæ auxilium penitus pernegaverint. Ex quo fit ut in multis doctrinæ capitibus quam ipsi nunc de naturæ viribus de gratiæ & prædestinatione lapsorum hominum tradunt, se extra teli iactum & omne periculum erroris esse non dubitent. Vnde operæ pretium est diligentius omnia Massiliensium principia, ne quâ forte in re tanti momenti obscuritate fallantur, inspicere.

Et primo quidem quod supra monui, hic iterum observatum velim; non omnes unum idemque sensisse Semi-Pelagianos: Vnde nec omnium sensum nobis indagandum esse propositum, sed illorum dumtaxat, quorum opinionem ac dogmata Prosper & Hilarius Augustino censenda & refutanda prodiderunt. Errantium quippe opiniones nosse, non ita multum prodest, nisi simul quid de singulis judicandum sit, quid fugiendum, quid tenendum, quid tolerandum, certa probataque alicujus Doctoris interposita autoritate noscatur. Hanc Augustinus Massiliensium opinionibus sibi perscriptis interposuit, & eam Ecclesia iudicio suo tam luculente comprobavit, ut quid de cæteris Pelagiani erroris reliquijs sive Cassiano, sive Fausto, sive alijs post ejus obitum huc usque pullulantibus judicandum sit, ex ejus potissimum scriptis tanquam ex totius Ecclesiæ promptuario, unde & Canones Conciliorum hausti sunt, & indubitata sentiendi regula qua omnis imposteriorum ingeniorum regatur libertas, aut franetur petulantia, debeat peti.

Itaque Massiliensium opinionibus, & Augustini



Augustini doctrina quam diligentissime ponderata certum esse, & indubitatum esse debere sentio, quod Massilienses præter prædicationem atque naturam, veram etiam & internam & actualem gratiam ac ipsam etiam fidem, quam humanæ libertatis & voluntatis ascribunt viribus, necessariam esse fateantur. Quod ut ostendam, unum dumtaxat, cujus non est hic uberius altruendi locus, tanquam Catholicum & immobile fundamentum supponendum est primum hominem haud secus atque angelos bonos, vera & actuali gratia ad perseverandum in iustitia, sive ad vitam æternam per opera bona consequendam, juxta certissimam sapiusque repetitam Divi Augustini doctrinam eguisse: quod ex ejus operibus suo loco latius comprobabimus. Nunc unicus locus ex Arausicano Concilio desumptus sufficit, quo ista Divi Augustini sententia tanquam Catholicæ fidei doctrina expresso Canone sancitur: *Natura humana, inquit Concilium, etiamsi in illa integritate in qua est conata, permaneret, nullo modo seipsam creatore suo non adiuvante servaret. Unde cum sine gratia Dei salutem non possit custodire quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?* Verba Canonis istius omnia ex Epistola Divi Augustini ad Paulinum sumpta sunt: quibus negat Concilium potuisse naturam humanam salutem acceptam, hoc est, iustitiam habitualement, in qua condita fuerat, sine illa gratia conservare sine qua jam lapsa se reparare non potest. Hanc autem esse gratiam internam & actualem tum nemo Christianus negaverit, tum locus unde Canon ille petitus est manifestissime clamat. Nam verbotenus ex Epistola Augustini excerptus est: in qua totis viribus adversus Pelagianos recentissime damnatos disputat, qui ut homines crederent credendoque corrigerentur ac recte viverent nullo modo actualis gratiæ cor convertentis auxilium necessarium esse statuebant, sed, ut Augustinus ait, *Hoc consilere volebant in solis viribus voluntariis.* Quos ut potentius debellaret, cavendum eos esse monet, *ne argute defendendo naturam, quemadmodum Philosophi hujus mundi qui vehementer egerunt ut putarentur vel putarent sibi beatam vitam virtute propria voluntatis efficere, offendant in lapidem offensionis, & per sapientiam verbi evacuent crucem Christi:* dum scilicet ad hoc actuali gratiæ Salvatoris opus esse non putant. Illam enim Philosophi Judæi atque Pelagiani, quos omnes ibidem opinionibus consociatos esse tradit unanimi consensione repulerunt, putantes sibi vel naturam solam, vel certe cum lege doctrinamque sufficere. Hos igitur omnes ut efficacius manifestiusque deceptos esse persuadeat, verbis illis supra citatis tradit, ne quidem naturam hominis, cum esset integra, tam potentem fuisse ut sine auxiliante gratia Dei stare posset in accepta iustitia, quanto minus nunc tantarum virium esse credendam ut possit sine eadem gratia tot peccati vulneribus fauciatæ, tot libidinum vinculis captiva confluere.

Canon. 19.  
Arausicani  
Concilij 2.

Epist. 106.  
vers. finem.

Ibid.

A Nam gratiæ actualis auxilium Pelagianos ad surgendum necessarium negavisse lippis & tonforibus notum est. Hinc alibi cum Pelagius *non peccare nostrum esse dixisset*, hoc est sine gratiæ auxilio nos peccata solis naturæ viribus posse vitare, subiicit hæc lucidissima verba pro asserenda primi hominis actuali gratiæ Augustinus: *Si de integra & sana hominis natura loqueretur quam modo non habemus, nec sic recte diceret quod non peccare nostrum tantummodo sit, quamvis peccare nostrum esset: Nam & ibi esset adiutorium & tanquam lumen sanis oculis, quo adiuvi viderent se præbere voluntibus, id est, si vellent se ad videndum præbere. Ecce ut lumen oculis, non solum affectis, sed etiam sanissimis velut adiutorium actuale ad oculorum sanitate distinctum ad videndum penitus necessarium est, ita naturæ quantumvis sanæ, quantumvis integræ ad non peccandum, hoc est ad bene vivendum simili gratiæ adiutorio etiam sanissimis naturæ viribus superaddito fuisse necessarium constanter docet. Nam sanæ naturæ opus esse internam sanitate ut in sanitate permanere queat, delirium est velle probare, stultum adducta luminis quod oculis externum est, similitudine persuadere.*

Hæc autem integræ naturæ gratia quantum ad operandi modum talis fuit ut ejus usus in sua cuique voluntate relinqueretur: Hoc est ut ea uti velle aut nolle, cum ea credere vel non credere, operari vel non operari, perseverare vel non perseverare uniuscujusque relinqueretur arbitrio. Non enim illa gratia dabat homini velle vel agere; sed erat talis sine qua non posset quicquam velle vel agere. Nunc autem perditâ illa felicissima integritate naturæ, homini varijs libidinibus captivo & suis ipsius aliarumque creaturarum amoribus excæcato talis gratia datur, quæ paulatim ipsius arbitrium sanando liberet. ipsum velle & agere & perseverare largiendo. Est enim gratia non tantum sine qua non potest actio fieri, sed quæ potentissime fiat; quæ nisi detur, nunquam poterit quicquam boni salutaris velle vel agere: quia rerum creaturarum libidinosi delectationibus prægravatus non potest ullo modo captivam voluntatem in sincerissimam incretæ lucis puritatem attollere, etiamsi primi hominis gratia non tantum affulgens ac parata semper assisteret, sed etiam longe cumulatus auctiusque conferretur. Est enim ista gratia illius naturæ ut homini libero non captivo serviat, sano non ægro opituletur, integro non læso vulneratoque conveniat. Ex quo fit, ut neque captivum liberet, neque ægrotum sanet, neque membra fracta consolidet sed ejus usus integritatem, sanitatem, libertatemque supponat. Est enim instar baculi, instar cibi, instar lucis quæ nihil profus adjuvant ut vel vinculis compeditus ambulat, vel fastidiosus & ægrotus comedat, vel cæcus aut oculis læsus videat nisi ante compedes frangantur, fastidium detergatur pupilla sanetur. Hoc autem non est aut scipionis, aut

Lib. de nat.  
& grat.  
c. 18.



aut alimenti aut lucis, sed collyrij ac medicinae, cujus ope papulatum integritas, sanitas, libertasque restituitur, quibus redditus jam illis adiutorijs utitur si voluerit; quia uti vel non uti, in arbitrio sanati hominis constitutum est. Non enim ita adjuvant ut usum ipsam voluntati inferant, sed impulsam potius voluntatis exspectant.

Hæc est verissima, sanctissima, constantissimaque Divi Augustini & Catholicæ Ecclesiæ de primi secundiq; hominis gratia, & utriusque diversitate doctrina: quam hic suis argumentis asserere, non minus esset facile, quam huic loco importunum. Tam multipliciter enim, tantaq; testimoniorum evidentiâ, docendique constantiâ illam August. tradidit & Ecclesiâ amplexa est ut negari nullo modo possit nisi pertinacia pugnares nervos adversus perspicuam lucem veritatis intendat. Vno loco ex libro de correptione & gratia deprompto contentus ero. quo breviter quicquid diximus

Cap. 11. de illa auxiliij diversitate clarescet: Nec ipsum (Adamum) ergo Deus, inquit, esse voluit sine sua gratia quam reliquit in eius libero arbitrio &c. tale quippe erat adiutorium quod desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret ut vellet. Hæc prima est gratia, que data est primo Adam, sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima est enim, quia fit ut habeat homo iustitiam si velit; secunda ergo plus potest, quæ etiam fit ut velit &c. Vnde inferius illam vocat adiutorium sine quo aliquid non

Cap. 12. fit, hoc vero, quo aliquid fit, quibus verbis breviter omnia quæ diximus comprehensa sunt, sed hæc uberius alibi ex suis principijs demonstranda sunt. Hoc loco doctrinam istam Augustini suppositam volumus, ut genuinam sententiam Massiliensium assequamur. Quod quidem, ut ad eos jam accedamus, eo iustius videri debet à nobis fieri quod Massilienses ipsi, quorum causa agitur, eo prorsus modo Augustini doctrinam ceperint, & moleste tulerint. Sic enim Hilarius eorum offensiones re-

Hilar. Epist. fert: Deinde, inquit, moteste ferunt ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perseverantiam. NON

Cap. 12. QVA FIERET (verba sunt Augustini ex libro de correptione & gratia) UT PERSEVERARET, SED SINE QVA PER LIBERVM ARBITRIVM PERSEVERARE NON POSSET: NVNC VERO SANCTIS IN REGNO PER GRATIAM PRÆDESTINATIS, NON TALE ADIUTORIUM PERSEVERANTIÆ DETVR, SED TALE VT EIS PERSEVERANTIA IPSA DONETVR: NON SOLVM VT SINE ISTO DONO PERSEVERANTES ESSE NON POSSINT, VERVM ETIAM VT PER HOC DONVM NON NISI PERSEVERANTES SINT. Audis reprehendi distinctionem illam quam supra diximus, duplicis adiutorij, SINE QVO NON FIT aliquid, & PER QVOD FIT: quorum illud electionem relinquit libero arbitrio, ut quamvis sine illo non fiat opus, tamen fiat SI VELIT; per hoc vero etiam fiat UT VELIT. Nunc vide causam stomachi; & cur istud postremum adiutorij genus quod lapsis hominibus August. tribuit detestantes ab-

A jecerint: His verbis, pergit Hilarius, sanctitas tua ita moventur, ut dicant quandam desperationem hominibus exhiberi, si enim, autem, ita Adam aditus est, ut & stare posset in iustitia & à iustitia declinare: & ita nunc Sancti invitantur ut declinare non possint, (siquidem eam acceperunt volendi perseverantiam ut aliud velle non possint, quia scilicet ipsa gratia facit eos perseveranter velle) vel sic quidam deseruntur, ut aut nec accedant, dum illa gratia non eos facit velle, aut si acceperint, & recedant, quia non facit eos perseveranter velle: ad illam, hominis scilicet primi, voluntatem pertinuisse dicunt exhortationis vel comminationis utilitatem, quæ & persistendi & desistendi obtinebat libertatem potestatem (utrumvis videlicet cum illo Adami adiutorio faciendo si vellet) Non ad hanc, hominis scilicet lapsi, cui nolle iustitiam inevitabili necessitate conunitum est, nempe quia velle aut perseveranter velle non potest, nisi per gratiam ipsum velle tribuatur: Præter illos qui hic concreati sunt his qui cum universa massa damnati sunt, ut exciperentur per gratiam liberandi. Hoc est præter electos sive prædestinatos; quibus etsi simul cum reprobis in massa damnationis concreati sunt, tamen juxta sententiam Augustini datur hæc liberationis gratia qua fiat ut velint, & ut perseveranter volendo liberentur. Ecce optime intelligunt & tanquam libertati, exhortationi, & comminationi consentaneam illam gratiam probant, qua quis ita juvatur, ut, sicut aiunt, stare possit in iustitia & à iustitia declinare: ut voluntas persistendi & desistendi obtineat liberam potestatem. Aliam verò qua ipsum accedere & non recedere, hoc est ipsum velle & perseveranter velle voluntatibus à Deo per istam gratiam tribuendum est tanquã desperationis causam avertantur. Et ne quis eos male fortassis Augustinum intellexisse suspicetur. Ecce ipsa eorum verba accedendi & desistendi, seu desistendi repetens Augustinus & constanter traditam à se veritatem sustinens: Non est hoc, inquit, omnino in vivibus liberi arbitrij quales nunc sunt; fuerat in homine antequam caderet &c. Post casum autem hominis, non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere ut homo ACCEDAT ad eum: neque nisi ad gratiam voluit pertinere, ut homo NON RECEDAT ab eo. Quia scilicet ipsa gratia nunc dat velle & perseveranter velle, quod olim ipsum arbitrium, quamvis non sine gratia dabat. Hoc est enim quod continuo Sanctos Angelos sua voluntati libertate præstitisse declarat.

Cum ergo ista Divi Augustini doctrina de duplici gratiæ adiutorio ex una parte placeret Massiliensibus, quia prima illa gratia libertatem salvam esse sineret, desperationem tolleret, exhortationis & cõminationis utilitatem relinqueret; ex altera vero parte illa lapsorum gratia propter incommoda quæ jam diximus, & fusius ante recensuimus, gravissime displiceret, sic è contrario suam ipsi sententiam difertis verbis consequenter tradunt: Vnde in Epist. ad Aug. hoc solo volunt à primo homine omnium distare naturam; ut illum integris viribus voluntati iuvaret gratia volentem, sine qua perseverare non poterat:



poterat: hos autem amissis & perditis viribus creden-  
tes tantum, non solum erigat prostratos, verum etiam  
suffulcat ambulantes. Ecce totum discrimen  
gratiæ stantis & lapsi hominis paucis verbis  
expressum. Nimirum primam distinctionis  
traditæ partem ut rectam, ut veram, ut sanam  
probant: talem videlicet conditum fuisse pri-  
mum hominem, ut esset integris viribus vo-  
luntatis, nulla concupiscentiæ resistentis, ac

deprimentis rixa tentatus, atque turbatus,  
gratiâ sine qua perseverare non poterat, ita ju-  
varetur, ut cum ea posset perseverare **SI VELLE-**  
**RET.** Hoc est enim quod dicunt, *juvaret gra-*  
*tia volentem*, hoc est, juvaret eum gratia si vel-  
let perseverare. Nam & Sanctus Prosper ead-  
em phrasi eodem isto sensu in explicanda  
sententia Semi-Pelagianorum usus est, quan-  
do eos gratiam talem probare tradit:

Carm. de in-  
grat. c. 10.

*Que se non subtrahat ulli  
Sed cupidos recti iuvet, illustretque volentes.*

**H**Oc est quæ juvet homines illustretque si  
velint. Quod sane non est aliud quam id  
quod Augustinus dixerat, sic illam gratiam  
primum hominem adjuvisse, ut in ejus libero  
relinqueretur arbitrio: Nec enim aliud ab ejus  
voluntate nisi velle petebatur. Alteram vero  
partem de gratia secundi hominis, quâ ita homi-  
nem lapsum Augustinus juvari dixerat, ut  
parum esset non posse sine illa vel apprehendere bo-  
num, vel permanere in bono si vellet, nisi etiam effice-  
retur ut vellet, partim retinent, partim destruunt.  
Destruunt enim, quatenus primas illas inte-  
græ naturæ vires non ita prorsus amissas &  
perditas volunt, quin adhuc per easdem vires  
ut olim Adam credere posset si vellet, ita scilicet  
ut per secundi hominis gratiam effici non de-  
beret, ut vellet, sed hoc etiam nunc cum illa pri-  
ma gratia adhuc in ejus libero relinqueretur  
arbitrio. Hoc enim est quod supra sæpius di-  
centes audivimus *fidem in natura licet vitata re-*  
*manisse quæ prius sana & perfecta donata sit.* Item  
*nullam naturam ita depravatam & extinctam, ut non*  
*debeat vel possit se velle sanari.* Item, *proprium arbi-*  
*trium ad hoc tantum esse liberum ut velit vel nolu ad-*  
*mittere medicinam, hoc enim fit per credendi vo-*  
*luntatem qua quisque, ut aiunt, voluerit & credi-*  
*derit a suo morbo se posse sanari.* Voluerit, inquam,  
& crediderit ex illa superstite propriæ & inte-  
græ voluntatis libertate, quam talem omnibus  
remanisse dicunt; qua sicut Adam, vel contem-  
nere quis valeat fidem vel obedire: Noxum enim &  
inutile prædicationi esse censebant sic volunta-  
tem peccato læsam existimare, ut fidem nec ar-  
ripere valeat, nec tenere, nisi credendi voluntate dona-  
ta, per illam scilicet gratiam qua Sanctus Au-  
gustinus lapsum hominem adjuvandum esse  
prædicabat. Hactenus ergo alteram, ut dixi,  
distinctionis Augustinianæ partem de gratia  
lapsorum hominum destruunt, sed postquam  
homo per illam superstitem primæ libertatis  
scintillam gratiæ primi hominis adjutus  
voluerit & crediderit, jam vero etiam secundi  
hominis gratiam, per quam operationem bonam  
& ipsam operandi perseverantiam dari  
Augustinus tradidit, sine tergiversatione ne-  
cessariam consentitur. Nam hoc est illud quod  
postquam homines tantum crediderint, illius gra-  
tiæ officinam esse statuunt, ut non solum erigat  
prostratos, sed etiam suffulcat ambulantes. Qui-

bus verbis brevissimis omnis gratiæ Christia-  
næ vis & operatio comprehenditur. Nam  
quod prostratos post fidem erigi per gratiam di-  
cunt, voluntatis prostratæ liberationem à pec-  
cati & concupiscentiæ servitute designant:  
qua fit ut non solum depulsa per justificatio-  
nem dominatione transferatur in regnum Filij  
Dei, sed etiam subactis inferioris partis  
libidinibus ac passionibus, quibus subtrata  
premebatur, id quod antea inchoatæ volun-  
tatis infirmitate implere non poterat, jam  
erecta ac tot vinculis ut quæque liberata cum  
delectatione operetur. Quod vero per eandem  
gratiam ambulantes suffulcari dicunt, ope-  
rationis justæ (quam ambulatio per justitiæ se-  
mitas denotat) perseverantiam gratiæ secun-  
di hominis tribuunt. Neutrum etenim per  
illum quem superstitem esse putant, primæ li-  
bertatis vigorem quantumvis Adami gratia  
adjutum atque munitum lapsio homini con-  
ferri posse recte & Catholice sentiunt. Nec  
enim illa gratia quamvis intensissima, cumu-  
latissimaque ullo modo prostratos erigere  
vel ambulantes ne iterum cadant suffulcire po-  
test. Vtrumque siquidem vim quandam agendi  
in voluntatē & immutandi ejus actū denotat,  
dum scilicet voluntas vel pondere quodā op-  
pressâ liberatur & sursum trahitur; vel eodem  
pondere adhuc gravata & ad lapsum prona,  
ne cadat iterum firmiter retinetur. Hoc au-  
tem gratia illi primi hominis nequaquam fa-  
cit; Nam ut agris odiosa lux est, qua pueris  
amabilis est, nec ullo modo vel intensissima con-  
ferre potest ut videant quia non ægritudinis  
instar collyrij, sed sanitatis adjutorium est,  
quo jam sanatus, si voluerit uti potest; ita  
ægrotae libidinibus varijs voluntati prima illa  
gratia prorsus inepta est, nec eam prostratam  
erigere vel lapsantem ullo modo fulcire potest.  
Perfectarum quippe virium adminiculum est,  
non infirmæ medicina voluntatis. Vt tunc eo  
sanitas si voluerit, non infirmitas vegetatur  
ut vellet. In hoc ergo propriè Massiliensium  
error situs est, quod aliquid primæ libertatis  
reliquum putant, quo sicut Adam, si voluisset,  
poterat perseveranter operari bonum, ita  
lapsus homo saltē credere posset si vellet: neu-  
ter tamen absq; interioris gratiæ adjutorio cu-  
jus usus vel abusus relictus esset in uniuersumq;  
arbitrio

Omnia in  
Epist. Hi-  
lar.



arbitrio & potestate. Non enim exclusisse<sup>A</sup> Massilienses ab illa credendi voluntate gratiam, quæ internis adjuvaret, vel inde solum, etsi nihil ipsi expressius dicerent, perspicuum esse potest, quod frequenter non minus Prosper quam Augustinus eorum sententiam quæ

hominem suâ naturali possibilitate seu libertate seu naturâ credere, & velle posse censebant, in Angelis & Adamo, non autem in lapsis hominibus veram esse fateantur. Auditiud Prosperum Iaculentis versibus canentem.

Nam si nunc etiam illesis vigor ille maneret,  
In quo insons natura fuit: sua quemque voluntas.  
Conciliare Deo, penaque absolvere posset &c.

Neque causam ex integritate naturæ petitam tacet:

Quoniam sapientia sana,  
Sana fides, sanum arburium, mens libera morbo.  
Vitam agerent dignam summorum participatu.

<sup>Ad c. 8. Gall.</sup> **A** Vdi & oratione solutâ Semi-Pelagianis<sup>A</sup> idem contentem: Neque hæc dona ( cogitare, dicere, agere bonum, ) ita ex Deo optinemur, ut quæ ipse natura nostra auctor est per conditionem iam hæc contulisse videatur. Conterendo scilicet potestatem naturalem ea faciendi. Quia dedit quidem ab initio hæc homini facultatem, sed omnes eam in illo amissimus in quo omnes peccavimus. Audi denique Augustinum qui discretis verbis præit Prospero. & ejusdem sententiæ veritatem velut magister docet: Non est hæc omnino in viribus liberi arbitrii quales nascuntur: Fuerat in homine antequam caderet. Nempe potestas permanendi cum Deo, hoc est constanti recte agendi suâ libertate si vellet. Cujus exemplum (Adam enim ceciderat illâ libertate) statim adiciens; Quæ tamen, inquit, libertas voluntatis in primæ illius conditionis præstantia quantum valuerit, apparuit in Angelis: Qui diabolo cum suis cadente in veritate steterunt, post casum autem hominis, non nisi ad suam gratiam Deus voluit pertinere ut homo accedat ad eum, nec nisi ad gratiam suam voluit pertinere ut homo non recedat ab eo. Et iterum alio in loco: Quis nescit eum (hominem) sanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio atque ad iuste vivendum potestate liberâ constitutum. sed nunc de illo agitur, quem semi-vivum latrones reliquerunt. Hoc est, non potest nunc suâ liberâ potestate quod ante potuit. Ecce quantâ luce veritatis & constantiâ doctrinæ duo præstantissimi gratiæ patroni asserunt naturam integram naturali suâ potestate credere potuisse si vellet, atque ultro totum quod Massilienses dicerent in illa felici integritate verum esse concedunt. Quod tamen non sine gratia illa de qua disputamus simul concurrente potuisse constanter identidem profiterentur. Neque enim ista duo pugnant secum, sed potius unum involvit alterum quod Adam suâ libertate credere posset si vellet, & tamen ad hoc ipsum gratiæ adiutorium fuerit necessarium, quemadmodum sanus oculus in perpetua luce constitutus, si homo velit cernere potest, quod tamen sine luce simul influente non potest. Ex quo fit, ut cum Pelagius qui omne omnino gratiæ adiutorium perimebat similes locutiones, ut Massilienses usurpare voluisset, quod scilicet nostrum esset, hoc est nostræ potestatis, non peccare seu recte

vivere, statim cum reprehendat, & falsitatis arguat Augustinus, etiam si illa sua verba de natura sana protulisset: Si de integra, inquit & sana hominis natura loqueretur quam modo non habemus, nec sic recte diceret, quod non peccare nostrum tantummodo esset. Nam & ibi esset adiutorium Dei & tanquam lumen sanis oculis quo adiuti videant &c. Ex quo relinquitur, quoadmodum Massilienses naturalem illam libertatem & possibilitatem ex Adami integritate reliquam prædicant, & ei saltem fidem tribuunt, nunquam eos illam Adami gratiam excludere, sed ita locutiones illas accipere, quemadmodum Prosper & Augustinus eas probant, & ipsi in Epistola Hilarij satis aperte interpretantur, videlicet, ut quemadmodum voluntas Adæ persistendi & desistendi habebat liberam potestatem, & nihilominus illam integris viribus iuraret GRATIA VOLENTEM, sive, si vellet: ita voluntas lapsorum hominum credendi habeat liberam potestatem, sic tamen ut eos eadem gratia iuvet credentes tantum.

Nec vero arbitrandum est Adamo sine omni gratia saltem illud velle suppetere potuisse, ut propterea eodem modo etiam sibi Massilienses illud sine omni gratia arrogare voluisse videantur. Nam in eodem loco ubi Augustinus de duplicis gratiæ distinctione fatigat, & Adami gratiam in omni libero relictam arbitrio tradit, continuo ne quis illud arbitrium, saltem ad volendum bonum sine gratia sibi sufficere posse arbitraretur: Liberum, inquit, arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est nisi ADIUVETUR ab omnipotenti bono, quod adiutorium, si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium semper esset bonus. Ecce nihil potest liberum arbitrium etiam primi hominis ad bonum, sine illo adiutorio quod ipse deseruit: ergo nec velle poterat, cum velle bonum non sit exiguum bonum. Et ut omnis tergiversatio prædicatur, etiam ipsum considerare de adiutorio Dei, hoc est, velle juvari à Deo, negat Adamum habere potuisse sine auxilio Dei. Meritam habens bonum, inquit, de primo homine differens, in adiuta divinitus voluntate recta, malum vero in deserente voluntate perversa: quia & ipsum considerare de adiutorio Dei, non posset sine adiutorio Dei Neque vero hanc ipsam gratiæ

Lib. de ingra  
c. 42.

Lib. de dono  
prosper. c. 7.

Lib. de nat.  
grat. c. 43

Lib. de nat.  
& grat. c. 42

Lib. de cor.  
rep. & grat.  
c. 11.

Lib. 14. de  
civ. c. 27.



gratiæ necessitatem ad ipsum velle Massilien-  
ses dissentent. Quid enim aliud significare  
eos voluisse iudicabimus, quando dicunt  
quod *gratia iuvaret volentem*, nisi quod conformiter  
ad Augustini doctrinam quam ibi se  
probare profitentur, nec ipse Adam (cum  
dicitur perseverare cum gratia potuisse si vel-  
let) absque illo eodem gratiæ adiutorio velle  
potuerit? Cum ergo *in hoc solo* Massilenses  
naturam omnium lapsorum à primo homine  
distare volunt, quod illum gratia sine qua  
perseverare non poterat iuvaret volentem, ut  
scilicet per eam posset si vellet, in tota accepta  
perseverare iustitia, nos autem credere

A tantum possimus si velimus; profecto nec vel-  
le nec credere sine illa gratia primi hominis  
lapsi hominibus tribuunt: alioquin non *amif-  
sas & perditas* hominis lapsi vires sed contra  
propriam confessionem longe fortiores eas  
quam illas fuerant esse sentirent: quia ipsum  
credere quod Adamus integer & sanus non  
sine gratia poterat, hoc sine omni gratia fra-  
ctam ægramque voluntatem posse statuerent:  
Et cum agnoscat sine ambagibus quod *gratia  
iuvaret etiam volentem Adam*: lapsos homines  
etiam *credentes*: nulla omnino gratia adjuvan-  
dos esse delirarent.

Eadem internæ inspirationis gratia asseritur ex Gennadio  
& Cassiano. Volunt esse tantum occasionem  
voluntati ad fidem & conversionem.

### CAPVT SEPTIMUM.

**E**T quamvis ista Massiliensium confessio  
manifesta sit, Gennadius tamen Mas-  
siliensis item Presbyter de Semi-Pela-  
gianorum factione non minimus,  
accuratius nobis explicuit quo pacto Dei ad-  
iutorium ad ipsam fidem ac bonam volunta-  
tem admitterent, & illam tamen libero arbi-  
trio arrogarent. Porro fuisse Semi-Pelagia-  
num nemini dubium esse potest qui obrecta-  
tiones ejus adversus omnes divini gratiæ de-  
fensores & encomia quibus adversarios ejus  
cumulat ponderaverit. Nam in primis libros  
Faulsi (qui Semi-Pelagianorum erroribus à  
capite usque ad calcem scitent, & à divo Ful-  
gentio septem libris confutati sunt, à Petro  
Diacono aliisque Orientalibus anathematizati,  
à ab Africanorum Episcoporum in Sardinia ex-  
ultantium Synodo proscripti) tanquam *e opus  
egregium de gratia Dei probat* d' Opuscula Cal-  
siani contra censuram Gelasii ab Ecclesia Dei  
probari salutaria & à Prospero insaniari ut nociva  
mentitur. Pelagij librum Eulogiarum sive  
Capitulorum, quem e Hieronymus & f Au-  
gustinus Hæresibus plenos asserunt, ipse ante  
hæresin scriptum nec erroribus favere insi-  
nuat. Hieronymo Ruffinum primum Pela-  
giana hæresis architectum præfert. Denique  
quod unum est instar omnium Augustinum ex  
multiloquio peccatum non effugisse criminatur;  
ac dum errorem illum sermone multo contractum,  
luctu hostium exaggeratum, nec dum hæresis dedisse  
quaestionem asserit, periculo hæresis Augustinum  
non carere manifestè significat. Vbi sine du-  
bio Massiliensium criminationes respicit, qui  
multa doctrinæ ipsius de gratia & prædestina-  
tione capita velut erronea diffamarunt.

a In lib. de  
Incarnat. &  
grat. c. 8.  
apud Ful-  
gent.  
b In Epist.  
Syn. de grat.  
Dei & lib.  
arb.  
c Lib. de vi-  
ris illust.  
d Eodem lib.  
e In Dial.  
advers. Pelag.  
f Lib. de gest.  
Pelag.

Plat in  
Symmacho  
D. Thomas  
quod lib. 12.  
a. 11. in cau-  
ten. inc. 1.  
Matt.  
Magister  
Sent. lib. 2.  
dist. 8. in  
Edit. Lovã.  
Strabo de reb.  
Eccl. c. 20.  
Gennad. lib.  
de Eccl. do-  
gmat. c. 19.

A libertate lapsi hominis loquitur: Postquam se-  
ductione serpentis per Evam cecidit (homo) natura  
bonum perdidit pariter & vigorem arbitrii, amif-  
sum vult esse illius primæ vigorem libertatis,  
qua poterat, si tantummodo voluisset, in ac-  
cepta iustitia præceptique custodia permanere;  
Nam tamen iuxta supra traditam Augustini  
doctrinam non permansisset sine gratia, non  
tamen opus fuit ut ei permanendi voluntas  
per gratiam donaretur. Et recte hæc tenentur:  
Iam verò de viribus quæ manserunt reliquæ  
ex primæ illa libertate subtextit: Non tamen  
ELECTIONEM (perdidit) ne non esset suum quod  
evitaret seu emendaret, nec merito indulgeretur quod  
non arbitrio diluisset. Ecce claris verbis vult  
illud saltem homini mansisse reliquum, ut  
postquam vocante Deo cor ejus per inspira-  
tionem gratiæ tactum est, ut credendo pœ-  
niteat, electio pœnitendi vel non pœnitendi  
non per gratiam libertati seu voluntati detur,  
ut Augustinus & Catholica fides docet, sed  
ipsa libertas voluntatis pœnitentiam quamvis  
non sine ista gratia, ut visum fuerit, eligat aut  
non eligat. Hoc est enim quod æquipollenti-  
bus prorsus verbis Massilenses apud Hilarium  
dicunt, non ita invalidum esse liberum arbi-  
trium ut fidem nec arripere valeat nec tenere nisi  
credendi voluntate donata, seu ut etiam donetur ut  
velit: Sed illud ad hoc tantum esse liberum ut ve-  
lit vel nolit admittere medicinam.  
Nam tantum ad hoc liberum esse ut velit vel  
nolit admittere medicinam, non est aliud  
quam quod Gennadius dicit, Electionem non  
perdidisse

Ne qua verò relinqueretur de Semi-Pelagia-  
no verborum illorum sensu dubitatio, ratione sub-  
iuncta attende, ne non esset suum quod emendaret.  
Hæc enim illa deantatissima Pelagianorum om-  
nium & Massiliensium querimonia propter quã  
illi omnem Christi gratiam susulerunt, si sal-  
tem electionem reliquerunt ut nostrum esset,  
quod

In Epist.  
Hilar. ad  
Aug. in  
Panlo is-  
rius.  
Circum medi-  
um.